DCLIII.

Kaiser Ludwig gestattet dem Burggrafen von Nürnberg, Wonsees zu befestigen, Blutgericht, Wochenmarkt und Nürnberger Stadtrecht einzusetzen.

22. April 1328.

Lvdowicus dei gracia Romanorum Imperator semper Augustus, singulis et vniuersis, ad quos presentes deuenerint, graciam suam et omne bonum. Imperialis preeminencie requirit et exigit celsitudo, vt singulos et vniuersos deuote nobis et fideliter famulantes condignis premiorum debeamus remuneracionum largicionibus preuenire, vt spe remuneracionis ceteri ad nostra et imperii vlteriora obsequia eo feruencius et confidencius animentur. Notum igitur esse volumus tam presentibus, quam futuris, Quod nos, aduertentes deuocionem et fidelitatem dilecti nobis fidelis *secretarii, friderici Burggrauii de Nurenberch,* suisque in hac parte peticionibus annuentes, Eidem auctoritatem, facultatem, et plenum posse damus, concedimus, dedimus et concessimus, Construendi, Edificandi et faciendi Ciuitatem munitam in *Wunnsez,**) Ipsamque muris fossatis et quibuslibet ceteris munimentis, quibus muniri cetere sunt solite Ciuitates, Inpedimento nullo, nec contradiccione aliqua prorsus obstante, firmiter muniendi; Ibidemque iudicium sanguinis, cum singulis suis ad id spectantibus necessariis, habendi, Judicemque ponendi, Qui super vniuersis casibus et excessibus, saltem ad seculare iudicium respectum habentibus, Corpus, mutilacionem membrorum, bona, siue Res attingentibus, iudicandi plenariam habeat facultatem; Ebdomodale forum in eadem Ciuitate, Quocumque die id attemptandum et visitandum decreuerit, proclamandi et nichilominus celebrandi: Volentes siquidem, dictam Ciuitatem *Wunnsez* vti, frui et gaudere omni iure, Libertate, Emunitate et gracia, quibus Ciuitas Nurenbergensis exnunc vtitur, hactenusque gauisa et vsa est, aut vti, frui, vel gaudere poterit in futurum. In Cuius rei Testimonium, presentes conscribi, Maiestatisque nostre Sigillo iussimus communiri. Datum *Rome* apud sanctum Petrum, Vicesima secunda die mensis aprilis, Indiccione vndecima, anno domini Millesimo Tricentesimo Vicesimo octauo, Regni nostri Anno Quartodecimo, Imperii vero Primo.

Original im Königl. Bairischen Reichsarchive.

Vgl. Abhandlungen der Churbairischen Akademie (1772) Bd. V. S. 58 ff.

*) *Wonsees* im Königl. Bairischen Landgericht Hollfeld.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf